I. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

VIRGINEM CHLOROSI Laborantem exhibens,

QUAM,

CONSENSU & AUCTORITATE GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ

In

ALMA NORICORUM UNIVERSITATE ALTDORFFINA,

Pro

Summis in ARTE MEDICA Honoribus & PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS more Majorum capessendis,

Publico Eruditorum Examini submittet

MARTINUS SCHEFFEL, Wismariensis.

Ad d. 11. Septembr.

A. R. S. M. DC. LXXXIV.

ALTDORFFI

LITERIS SCHÖNNERSTÆDTIANIS.



PROOEMIUM.

MEdicinam exercere, esse intueri miseriam humanam, *sapiens quidam graviter & verè pronunciavit. Quot enim quæso morborum genera, quibus mortales quotidie exponuntur, Medicis non sese sistunt? Mox audias hominem, qui videbatur sanus, subitaneâ, intra quadrantem horæ, corripi morte. Mox querulas percipimus preces, ut ægrum paulatinâ inediâ emaciatum, pristinæ sanitati restituamus. Nunc Hydropicus Medicorum implorat opem. Nunc Chiragricus & Podagricus. Hîc ægrum Calculus; illîc convulsiones acerrimæ excruciant. Jam Febres Tertianæ, Quartanæ, imò Pestilentiales ipsius invadunt corpus. Jam Gangræna & Sphacelus artus exedunt. Ut omninò exindè liqueat, nullam ferme partem corporis esse, quæ non morborum subjiciatur spiculis. Agmina mehercule morborum in nos ingruunt, quibus recensendis pagellæ hæ haud sufficerent: En multa morborum genera sunt, plures species, plurimæ deniq; differentiæ! Mas suos peculiares habet morbos, ut Inflammationem Testiculorum, Phymosin, Paraphymosin, Priapismum &c. Et Fæminæ suos patiuntur, ut Molam Abortum, Procidentiam Uteri, Suppressos Menses, Paßionem Hystericam, Picam, Malaciam, Chlorosin, &c. Quem ultimum affectum morbosum in hâc* Disputatione Inaugurali *paucis exponere in animum induxi. Antequam autem ad hunc laborem, qui mihi satis difficilis ac arduus videtur, progrediar, suspiria ad cœlum mitto, ut Deus T. O. M. humani nostri generis Creator ac Conservator,*

 meas

meas cogitationes itu dirigere velit, quò, quicquid huic chartæ committo, tendat in sui honorem ac gloriam proximiq́ salutem ac emolumentum felicissimum. Juva JEHOVA, Juva!

CASUS.

Virgo octodecim annorum, post diuturnam frumenti crudi, cretæ & arenæ absurdam appetentiam pravumque usum, incidit in mensium obstructionem per sex menses durantem, accessit faciei & labiorum pallor, totius corporis lassitudo ac Hypochondriorum nonnunquam inflatio & intumescentia. Respirandi difficultate sæpe afficitur, præsertim ubi scalæ adscendendæ. Adest etiam capitis & ventriculi dolor frequens, quare misera Symptomatum molestorum pertæsa Medicum expetit Consilium.

RESOLUTIO.

Afficiuntur in hâc ægrâ *Universus Sanguis* & exinde *Uterus*, quod ex Mensibus obstructis; *Facies* & *Labia*, quod ex Pallore; *Totum corpus*, quod ex Lassitudine; Viscera Hypochondriorum, scil. *Lien* & *Hepar*, quod ex Hypochondriorum tumore; *Pulmones* & *Diaphragma*, quod ex respirandi difficultate; ac denique *Caput* & *Ventriculus*, quod ex eorum dolore patet.

Mor-

Morbus præcipuus qui virginem ægram affligit,& unde reliqua omnia consequuntur, est intemperies quædam sanguinis crassa, viscida, tenax, quæ poros uteri obstruens Mensiumque fluxum sufflaminans, tùm Pallorem Faciei & Labiorum, ac totius corporis lassitudinem, nec non Hypochondriorum inflationem, Respirationis difficultatem, & capitis ventriculique dolorem producens, *Pallidus Virginum Color* sive *Chlorosis* vulgò appellatur.

Per pallidum autem colorem non intelligimus (1) quamlibet decolorationem fugacem, quæ variis ex causis internis externisque contingere potest, sed constantem & diuturnam (2) Nec intelligimus quamlibet constantem, qualis longis humorum evacuationibus aliisq; causis, tàm in viris quàm in mulieribus succedit. (3) Nec intelligimus solum coloris vitium, sed potius congeriem quandam variorum symptomatum, quæ fœminas variè excercent, & colore illo in facie sese produnt; unde præsens affectus non tantum à symptomate in sensus incurrente pallidus virginum color denominatur; sed & ad exprimendam aliquatenus morbi essentiam febris alba, virginumque, nuncupatur.

Nam tametsi mulieres nuptas viduasque hoc affectu tentatas videre liceat, quia tamen virginibus viro maturis magis familiaris est, ideo *Virgineus* morbus appellatur; itemque *Amatorius*, quod credantur virgines, ut viris reddantur gratiores, nescio quâ vanâ persuasione seductæ, album hunc colorem, rerum absurdarum esu sibi conciliare.

Ceterùm causa *Procatarctica* hujus morbi est diurturnus Frumenti crudi, Cretæ & Arenæ usus.

Unde multa crassa, viscida, tenax materia in toto sangui-

ne collecta, postquam ex absurdis alimentis crudus chylus in ventriculo elaboratus, & per velamentum bombycinum, cum poros tandem sibi adaptatos fecit, transcolatus, mediantibus vasis lacteis primi & secundi generis, Receptaculo, Ductui Thoracico &c. demumq; sanguini affusus, *Antecedentem* huic morbo præbuit causam.

Ista verò cruditas, uti ad omnes partes, sic etiam ad uterum, (lege circulationis) Faciem, Labia, Hypochondria, partes Respirationi dicatas, Caput, Ventriculum &c. delata, in istis partibus intemperiei & simul obvenientis obstructionis causa *continens* facta est.

Atque idcircò sanguis & humores singulis *Mensibus* per uterum evacuari soliti, fuerunt *sufflaminati*, quia minus mobiles facti ob crassitiem & tenacitatem; hinc porrò eorum fermentatio minùs auscultavit phasibus Lunæ, utpote quæ pro vario situ & respectu, quem habet ad nostram tellurem, varia ad nos mittit effluvia Solaria, hæc verò dum insignem solent introducere mutationem & sanguinis turgescentiam menses profluere faciunt, qui dein remittente turgescentiâ situmque mutante Lunâ sensim cessant; ast si natura rectè se habuerit, determinato tempore redeunt; nempe quando Luna eundem rursus situm & respectum, ad nostram tellurem habet; quòd autem à peculiaribus effluviis Solaribus, mediantibus certis Lunæ phasibus ad terram dimissis, dependeat hic fluxus, seminum experientia patet; Nulla enim potest dari ratio, cur hæc semina, in gremio terræ recondita, hoc potius mense progerminent quam alio, nisi quod pro vario situ, quem habet Söl ad nostram tellurem alia atque alia effluvia ad nos perveniant hoc vel illo mense, adeoque hoc semen potius hoc mense, propter introductam fermentationem germinare faciat, aliud alio.

Interea quia vitiosus sanguis in nostrâ ægrâ ad Faciem & Labia delatus, propter crassitiem & viscositatem non pervenit ad extrema vasa capillaria, item propter debiles fermentationes, non satis attenuatus est, fit ut vasa capillaria ferant limpidum & coloris expertem humorem : Hinc *Pallidus Faciei* & *Labiorum color*.

Totius verô *Corporis Lassitudo* oritur (1) à paucitate & torpore spirituum animalium, ita ut nervorum fibrillæ non à spiritibus animalibus debito modo sint interfusæ; (2) à multis tubulis nervorum & musculorum obstructis, ut adeò tantùm possint in pauciores tubulos spiritus influere, in quibus idcircò minores tantùm vires possunt exseri.

Hypochondriorum distensio notatur, quia sanguis crassus, viscosus, tenax, propter obstructos vel oppilatos in visceribus meatus haud promtè refluens, distentionem fibrarum sensilium inibi molitur. *Inflatio* simul fit, quando idem stagnans crassus sanguis, crassos à se dimittit vapores, qui cùm per poros viscerum penetrare nequeant, nec etiam per spiracula corporis exitum inveniant, necesse est ut Hypochondria p.n. inflent.

Respirandi difficultas porrò obvenit, atque inprimis in adscensu per scalas notatur, quia sanguis tenax, crassus, & viscidus, minùs promtè per vasa pulmonaria transfluit, sed potiùs tardè mobilis pulmones aggravat, vesiculasque pulmonares comprimit: illaque augetur ab Hypochondriorum inflatione, quando diaphragma difficulter retrahitur.

Capitis dolor ad hæc oritur, à portionibus sanguinis crudis, vasa meningum fibrasque sensiles in capite hinc inde distendenti-

dentibus; vel etiam, si acrimonia quædam concurrerit, lacerantibus, aut vellicantibus, sicque utrinque solutionem aliqualem continui, cujus individuus dolor comes est, intentantibus.

Ventriculi tandem *dolor* non potest non inprimis adesse, tum quia ventriculus ab assumtorum crudorum, diutius quam par est intra plicas ejus interiores morantium, pondere oneratur; tum quia à flatulentiâ eorundem vaporosâ distensionem pariter patitur.

Quod Prognosin concernit, *Morbus hic* periculosus est, cùm totam corporis œconomiam pervertat, & ni maturè curetur Hydropem inducat, quia quando lympha ex adsumptis pravis & consimili sanguine, lenta, tenax & viscida evadit ac minus expeditè per vascula sua movetur, eadem primò distendit, mox propter substantiæ teneritatem, urgentibus successivis particulis, disrumpit, hincq; extravasata & in abdominis cavum confluens, Hydropem constituit.

Sed tempus monet, & ægræ virginis desiderium postulat, ut ad *Curationem* accedamus, in quâ sequentes potissimùm indicationes observandæ erunt (1) ut sanguinis & humorum cruditas corrigatur. (2) Obstructiones tollantur. (3) Massæ sanguineæ partiumque vitiosa recrementa evacuentur.

Quod *Imam* attinet *indicationem*, huic apprime satisfacient Salia Volatilia tàm simplicia quàm Oleosa, uti sunt: Sal Volat. & Spirit. C. C., Sal Volat. Succini, Spirit. Tartari Volat., Liquor C.C. Succin., Spirit. Salis ammon. Anisatus item Lavendulatus, Sal Volat. Oleosum Sylvii & simile quodlibet &c. Porrò Aromatica, sanguini promptiorem spirituascentiam conciliantia, glutinososque humores resolventia, e. g. Tinct.

Cina-

Cinamomi, Essentia Croci, Elixir Vitæ Regium, Elixir Proprietatis Paracelsi dulce, Elixir Uterinum Crollii; quibus acida mitiora, viscidum peccans incidentia, uti Spir. Salis & Nitri dulcis, in minore quantitate adsociari poterunt.

Indicationi secundæ licet apta quoque sint jamdum enumerata medicamina, in specie tamen vulgò solent commendari Aperientia, sive Obstructiones viarum, vasorum, ductuum & meatuum reserantia, uti Alcalica tàm fixa quàm Volatilia, itemque enixa ex Alcali cum Acido connubio genita; videlicet Sal. Artemis., Cichor., Centaur. min., Spirit. Aperitivus Penoti, Arcanum duplicatum, Arcanum Tartari Noricum. Hûc quoque faciunt laudatissima Martialia, uti sunt: Tinct. Aperitiva Zwelferi, Tinct. Martis cum succo pomorum Borsdorffianorum parata, Crocus Martis aperitivus vulgaris, vel Beati Dn. D. MICHAELIS selectior, parandus cum Sale Aperitivo quocunque, v. g. Absinthii, Artemisiæ, Fœniculi, vel Capite mortuo Spirit. Aperitivi Penoti, in Aqua Artemis. vel Cichor. soluto, dein Limaturæ Martis asperso, donec vertatur in crocum, vid. Exc. Wedel. Pharm. in Artis form. redact. l. 2. sect. 11. cap. 4. pag. 113., talis namque Crocus peregrino acido nondum saturatus, potentius absorbet, aperit. Limatura Martis etiam convenit; ob quam proculdubio in hoc Affectu insignis efficaciæ est Pulv. Cachecticus Quercetani, ut ejus beneficio innumeras Virgines Chlorosi laborantes se restituisse testetur Riverius Obs. Centur. IV. Obs. 93. Egregii non minùs usus esse poterit Diaphoreticum Martiale, descriptum à Clariss. Ludovico Diss. I. Pharmac. moderno seculo applicatæ pag. 330., *à Nobiliss., Ampliss., Excellentiss. atq; Experientissimo* DN. JOH. MAURICICIO HOFFMANNO, *Phil. & Med. D. Facultatis Medicæ h. t.* DECANO *Spectatissimo*, DN. FAUTORE & PRÆCEPTORE *æternum devenerando* etiam in

 præ-

præſente affectu prodeſſe obſervatum. Nec vero ſimplicia Galenica ſuâ laude hîc defraudanda ſunt, utpote efficaciâ notabili nequaquam deſtituta ; Poterunt igitur in gratiam ægræ præſcribi *Apozemata* ex Lign. Saſſafras, Rad. 5. Aperient. Rad. Ariſtol. rotund. veræ, Enulæ, Polypod., Cort. Rad. Cappar., Tamariſc., Fraxin., Herb. Artemiſ. Sabin., Abſinth., Origan., Fl. Lavend., Cheyri, Schænanthi, Spicæ Nardi, Bacc. Lauri, Junip. Sem. Naſturtii, Apii &c. in Aq. Fontan. & Vini Chalyb. āā p. æq. decoquendis ; quorum ſingulis doſibus ad ℥iij, iiij propinandis, Spir. Salis Amm. gut. xvi. inſtillari, vel Mel Squillit. aut Sal aliquod Volatile Oleoſum admiſceri poterit. Vinum vero Chalybeatum ad imitationem Sennerti, parari poterit ſeq. modo

℞. *Limat. Chalyb.* ℥iij
Cinam: ℥ß
Vin. alb. ℔iij

ſtent in vitro clauſo ad Solem octo diebus, & quotidie benè agitentur. Loco Apozematis *Vinum Medicatum* ſequens ægræ noſtræ pariter apprimè conducet :

℞ *Rad. 5. Aperient.*
Enul.
Ariſtol. rot. ver. ana ℥iij
Fol. Puleg.
Major.
Sabin.
Artemiſ. rubr. ana Mj.
Cort. Rad. Cappar.
Fraxin. ana ℥ß
Bacc. Lauri ʒij
Sem. Dauci
Leviſt.

Macis

Macis ana ℥j
Cinam. acutiss. ʒiij
Limat. Mart. tenuiss. trit. cribrat. & in pet: ligat. ʒvj

Incisa & contusa includantur sacculo è sindon. alb. parat. ad ℥x.
Dr. Sgr.
Zu 2. Kannen Weins.

Tertiam denique quod concernit *Indicationem* , ut ei satisfiat, primum omnium suadeo *Venæsectionem*, nam tametsi nulla in nostrâ ægrâ Plethora adsit, sanguinis imminutionem postulans, sed potius Cachexia , omninò tamen illa multum è re est, dum partim sanguinem stagnantem ad motum invitat, partim etiam vasa aliquantum deplendo, expeditiores pro reliquâ evacuatione vias præstat.

Postmodum exhibeantur *Purgantia* e. g. Pulv. Vegetab. laxativus Rolfincii, additis ol Sabin. Destill. aliquot guttis, Extr. Pilul. Fœtid. panchymag. Crollii, Pilulæ Tartareæ Melanagogæ Quercetani, vel Bontii, Aloeticæ &c. vel seq. præscribantur.

℞ *Gum. Ammoniac. in acet. squill. dissol. gr. xv.*
Mercur. dulc. gr. vj
Extr. Ellebor. nigr.
Troch. Alhand. ana gr. iij.
M. cum Spir. Cochlear F. Pilulæ inaur.
Num. xv. capiantur pro unâ Dosi

Vel ordinetur tale *Enema*

℞ *Rad. Alth. ℥j*
Lil. alb. ℥ß.
Arist. rot. ver.
Caryophyllat. ana ʒij

H. *Malv.*
Matric.
Origan.
Menth. ana Mj
Fl. Chamamel.
Sambuc. ana Mß.
Aneth. pug. iiij
Bacc. Laur.
Junip. ana ʒiij
Sem. Lini. ʒij
Fænugr.
Petrosel. ana ʒj
Incis. & contus. coq. in s. q. Aq. Hordei
Colat. ℞ *℥x. adde*
El. Lenitiv. ℥ß
Hier. simpl. ʒij
Ol. Chamæm.
Rutac. ana ʒiij
Lap. Prunell. ʒß.
M. pro Enemate

Sed nec *Vomitoria* nocent, cumprimis ubi nausea & propensio ad vomitum adfuerit, & ventriculus à saburrâ, sibi vel pondere etiam molestâ, liberari voluerit. Cui scopo inserviet Aq. Benedict. Rulandi, Oxysacch. Vomitiv. Salæ vel Cl. Ludovici, vel seq. *Pulvis.*

℞ *Tart. Emet. gr. ij*
Vitriolat. gr. iiij.
M. F. Pulvis *pro unâ Dosi.*

Hisce subjungenda veniunt *Sudorifera* & *Diuretica* Sale Volat. abundantia; itemque si menses nondum fluant *Emmenagoga* passim ab Autoribus præscripta, quæ inter non ultimum locum meretur Elixir ad Menses Beat. D. Michaelis, expositum à Cl. Deckero in Notis ad Prax. Barbett. c. x i p. m. 227.

Tan-

Tandem non negligenda erunt medicamenta externa uti *Balnea*, eaque vel Naturalia, Thermarum nomine nota, dummodo non sint nimis Exsiccantia aut Adstringentia; vel Artificialia seq. modo paranda.

℞ *Rad. Lil. alb.* ℥ij
Arist. Rotund. ver. ℥j
Bryon,
Valerian. ana ℥ß
H. Major.
Salv.
Matric.
Abrotan. ana Mij.
Chamam.
Fl. Sambuc. ana Mj.
Bacc. Lauri
Junip. ana ʒvj
Sem. Fœnugr.,
Levist.
Dauci
Nasturt. ana ʒij
Sulphur. viv.
Salis Ammon.
Comm. ana ʒvj

Decoq. in s. q. Aq. Font. vel solâ vel addito vino prō ditioribus F. Balneum *cui ægra quotidie insideat.* Vel ex enumeratis ingredientibus, cum vino decoctis, spongiæ imbuantur pro fotu uterino; vel vapor inde adsurgens in sellâ perforatâ excipiatur. Multùm quoque prodest Lixivium scoriarum Reguli Antim. Mart. supra tegulam candentem effusum, & similiter admissum.

Adhæc *Suffimigia* Utero parentur ex Lign. Sabin., Junip. Gumm. Opoponac., Sagapen., Ammoniac., Galb., Borace, Succino &c.

no&c. pulverisatis,&vel solis carbonibus injectis, vel cum mucilagine Tragacanthi prius in Trochiscos redactis. Halitus quoq; penetrantissimus ex Sale Tartari & Sale Ammon. commixtis, atque Glauberiano modo utero applicatis, multùm juvat.

Restat ut Virgini nostræ *Diæta* commendetur salutaris, in legitimo rerum Nonnaturalium usu consistens. Sit ergo *Aer* purus ad calidum vergens. *Cibus* sit εὔπεπτος & εὔχυμος, isque humidus potius quàm siccus. *Potus* sit Vinum & Cerevisia benè defæcata. Moderatæ motus, quietis, *Somni* & *Vigiliarum* alternationes existant: *Excernenda* ad consuetas naturæ leges urgeantur. *Animi* tandem *Pathemata*, sanguinem Spiritusque excitantia ac diffundentia, commendentur.

Atque hîc, post persolutas DIVINO NUMINI pro benignâ assistentiâ gratias, terminalia sunto. Tu verò, *Lector* Benevole, si forsan hîc nonnulla minus ἀκριβῶς dicta reperies, facilè mihi condonabis, dum ex Belgio reduci, & nunc in Orbis Paradisum Italiam iter paranti limatiora scribere ocium denegavit negociosum. Vale igitur & Fave.





ADDITAMENTA.

I.

IN edendo nullus ordo ciborum ſervandus.

II.

Ventriculus non eſt cauſa malæ concoctionis.

III.

Specificum ſtomachicum non datur.

IV.

Inedia in morbis Pituitoſis prodeſt; in morbis verò Acutis nocet.

V.

Cardiaca Spirituoſa ſolùm proſunt, ubi quaſi ex orco revocandi ſunt ægri, aliàs nocent.

VI.

Quòd Gallinæ itemq; columbæ diſſectæ & capiti impoſitæ neceſſariò debeant eſſe nigræ, vanum: uſus autem non caret ratione.

VII.

Neq; vana ſunt remedia externa carpo applicita in fugienda Febre.

IIX.

Quòd Canes, inter multos, suos agnoscant heros, sola Trans spirationum diversitas in causa est.

IX.

Pedilavia promovent somnum, non quia Pedibus cum capite consensus peculiaris, sed ratione circulantis sanguinis.

X.

Igni aßidentes facilius prolabuntur in somnum, quia corpus fit instar pertusi vasis, ita ut Spiritus, permixti humoribus, faciliùs in auras avolent.

FINIS.

